DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# HÆMORRHAGIA VTERI

QVAM

DIVINIS AVSPICIIS

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MEDICI SENIORE

ET h. t. DECANO

PRO DIGNITATE DOCTORALI

SVMMOS IN MEDICINA HONORES RITE OBTINENDI

*Ad. d. Junii A AE. C. MDCCXXX.*

Publicæ eruditorum diſquiſitioni exhibebit

JOACHIMVS FRIDERICVS LVDERS

BOITZENBVRGENSIS MEGAPOLITANVS.

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

*DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA.*

DE

# HÆMORRHAGIA VTERI.

## PRAEFATIO.

SAnguinem eſſe optimum vitæ theſaurum qui cuſtodiri & conſervari debeat qui animæ inſtrumentum & vehiculum quaſi ſit, ſapientiſſima antiquitas pulchre & ſcite pronunciavit. Cum ſanguine enim vita ammittitur, perit robur ac vis omnis vitalis cunctis corporis membris, ſanguine enim abſente vel ejus motu per cerebri meandros impedito vel ceſſante, protinus animæ operatio concidit atque extinguitur; nihilo minus & hoc veriſſimum eſt, vitali hoc ne-

ctare, nimium & præter naturæ legem ac proportionem abundante nihil exiſtere pernicioſius, quod non modo ſanitati ſed & ipſi vitæ ſtruat & minetur exitium. Atque adeo idem quod vitæ & ſanitatis eſt fundamentum, id quoque poteſt evadere ejus deſtructivum, inutilis enim omnis etiam exquiſita temperie & bonitate gaudens ſanguis eſt niſi perenni ac progreſſivo in orbem abeunti motu per machinam corporis noſtri ejusque partes vaſculoſas circum volvatur, nam hic demum functionibus tam vitalibus quam naturalibus rite præeſt; hic demum animam cum corpore jungit. Ex quo facile intelligitur quantum noxæ & periculi ſanitati & vitæ imineat, quando ſanguis nimius, proportione ad vaſa & ad vim canalium motricem carens, non rite & ſecundum leges naturæ circuletur, ſed in motu impeditus, hinc inde in partibus ſtagnans, ſubſiſtens, ſæva pathemata inducat; quapropter providiſſimo DEI conſilio factum eſt, ut natura, qua non modo artificioſam & ſumme ſapientem ſtructuram & diſpoſitionem partium ad motum tam circulatorium quam ſecretorium & excretorium, ſed & ipſam partibus ſolidis inhærentem vim motricem intelligimus; optima illa divi ſenis eſtato Lib. I. de victus ratione morborum medicatrix corpus ab eo quod moleſtum eſt, quod vi ſtruit inſidias, liberat, & id ex quo quis ægrotat aufferendo, per excretiones debitas, ſanitatem reddit. Quare dici vix poteſt, quantum commodi & utilitatis ad tuendam ſanitatem ſolennis illa

quæ

quæ ſtata menſis periodo in ſexu muliebri, qui præ virili ob teneriorem & laxiorem partium ſtructuram majorem ſanguinis & ſuccorum copiam ingenerat, vacuatio præſtet, & quam utilis ſæpe & ſalutaris ſit in iis qui nimium ſanguinis gignunt, per nares, vel etiam per venas ani, præſertim in adultioribus, juſta excretio. Verum enimvero ſicut languida & minus ſufficiens ſanguinis copia peccantis excretio, ita etiam nimis exceſſiva ejus per dictas has vias profuſio ingens magnorum morborum procreatrix eſt; laborat maxime tali defectus vel exceſſus vitio menſium, femineus ſexus, hinc ut ſalutaris hæc excretio in debito modo, debita proportione, moderatione & ordine, debitis & congruis remediis conſervetur, præcipuum utique prudentis & periti medici officium eſſe ſolet, adeo, ut qui hoc recte præſtare poſſit, præſtantiſſimus merito habendus ſit. Placuit jam mihi, quum ſpecimen quoddam eruditionis ſiſtendum fuerit, vitia & mala illa quæ ex immoderato ſanguinis per uterum effluvio miſeræ feminæ experiri ſolent, paulo penitius conſiderare, & a quibus cauſſis talis effrenis ſanguinis effuſio dependeat, quibus auxiliis ea tam præſervari quam etiam curari poſſit, curatius inveſtigare atque inquirere, cui utiliſſimo labori ut gratiam ſuam ex alto Divinum Numen addat, ex animo precamur.

## OBSERVATIONES PATHOLOGICÆ.

### I.

VTeri hæmorrhagia, eſt immoderatior, pro natura, & ſtructura corporis, ejusque viribus, ſanguinis per uterum profuſio, non modo vires, ſed & alias functiones lædens atque peſſundans, a ſanguinis libero & æquabili per uteri vaſculoſam ſubſtantiam, circuitu impedito & turbato, dependens.

### II.

Non omnis largus & copioſus menſium fluxus, quem ſine ſanitatis diſpendio nonnullæ, quæ præ aliis copioſiorem ſanguinem gignere ſolent, experiuntur, cum præter naturali uteri hæmorrhagia, ſive ſanguinis enormi profluvio, debet confundi; nam iuxta effatum Hippocratis naturæ mulierum valde inter ſe differunt.

### III.

Nimia ſanguinis ex utero effluxio multum variat, vel enim ſtato tempore quo menſes erumpere ſolent, vel extra illud fit, vel ipſa menſtrua purgatio ultra tempus conſuetum ad complures dies, v. g. novem, quatuordecim & ultra perdurat, vel cum copia & impetu, breviori temporis intervallo, ſanguis erumpit.

### IV.

Hæmorrhagia uteri, eaque ſæpe gravis & vehemens in fœminis ſæpius in abortu, interdum mox ante vel etiam poſt partum, fit, ſi lochiorum fluxus nimius diutius perdurat.

V. Quæ

V.

Quæ laxioris & ſpongioſioris habitus corporis & ſic dictæ ſanguineæ & phlegmaticæ complexionis ſunt, vitam ſine labore agunt, laute vivunt & ſubinde etiam animi commotionibus, præſertim ira vel terrore, agitantur, item quæ diætam amant vinoſam, hæmorrhagiæ uteri nimiæ, tempore menſium vel etiam graviditatis magis obnoxiæ ſunt, quam quæ ſtrictiore & ſicciore gaudent corpore, item quæ laboribus deditæ ſunt nec tam laute vivunt.

VI.

Ordinario fere contingit, feminas circa illud tempus quo menſtrua purgatio ſua ſponte deſinit, & ante annum videlicet quadrageſimum nonum, inordinatam & diuturnam admodum, neque omnis periculi expertem ex utero ſanguinis fluxionem pati, qua deinde ſanata nulla amplius per uterum fit ſanguinis menſtrualis excretio. Interdum etiam accidit, quod aliquoties obſervavimus, feminas annoſiores ſexaginta imo ſeptuaginta annorum ſubito & ex improviſo immenſam cum malo odore ſanguinis, utero excreviſſe copiam, quæ, juncta tandem febre lenta, interierunt.

VII.

Nimius menſium vel etiam lochiorum fluxus, valde etiam iis feminis familiaris eſſe ſolet, quæ ſenſibilioris ſunt animi, quæ pathematibus hyſtericis, inflationibus ventriculi, tenſionibus hypochondriorum, & conſtricta alvo, laborant.

VIII. In-

VIII.

Immoderatior uteri hæmorrhagia frequentius recurrit & recidivat, & quia nulla abortio fit absque præcedenti nimia ſanguinis per uteri vaſa, effuſione, ita experientia conſtat, feminas, quæ ſemel vel bis abortum paſſæ ſunt, data levi cauſſa e. g. motu corporis vel animi fortiori; quam facile rurſus in eum incidere.

IX.

Sanguis qui utero egeritur tam ratione quantitatis quam qualitatis, coloris, odoris quoque inſpici & conſiderari debet: nam ſi ἀτρόως & cum impetu exit & ſatis floridus ac fluidus eſt, is ex arteriis promanat & vulgo dicitur Hertz-Geblüte, facileque is animi deliquium, niſi cito ſuccuratur, accerſit; interdum cum ſanguine numero plures coagulatæ & quaſi carneæ ſanguineæ maſſæ ovi minoris magnitudine ejiciuntur, quod fit ſæpius in iis quibus uteri purgatio ad duos vel tres menſes ſubſtitit, & tum poſt ejectionem talium maſſarum quandoque exit ſanguis valde aquoſus & tenuis, interdum grumoſus, ſæpe etiam viſcoſus, nigricans, fœtidus, qui cacochymiam ſive ſummam humorum pravitatem indicat.

X.

Rarius virgines & mulierculæ quæ nondum pepererunt enormem ex utero ſanguinis fluxionem patiuntur, frequentius vero in iis contingit, ubi poſt puerperium tonum & robur naturale rurſus uterus non pervenit.

XI. Vi-

XI.

Vita valde periclitatur in iis, quæ ante partum, fœtu exiſtente mortuo, magnum ſanguinis patiuntur profluvium, niſi enim ingenti robore & præſentaneo medici auxilio fœtus partu excludatur, vel ipſe operatione chirurgica commode eximatur, mortem ſequi, certiſſimum eſt. Periculoſæ etiam eæ uteri hæmorrhagiæ ſunt, quæ a ſecundina, cum violentia extracta, oriuntur, vel ſi ejus fruſtula retenta poſtea in deformes maſſas, molas dictas, concreſcunt, menſium fluxum ſemper vitiant & nimium reddunt.

XII.

Nimis & diu durans lochiorum fluxus, tonum uteri valde relaxando, ſæpius ſterilitatem relinquit vel ad abortum diſponit, menſium etiam fluxum utplurimum poſtea reddit anomalum atque irregularem.

XIII.

Sanguinis profluvium nimium, plerumque præcedit & comitatur tenſio & inflatio hypochondriorum, dolor gravativus & preſſorius circa lumbos, inguina, flatulentia abdominis, extremorum refrigeratio, & horripilatio, facies fit pallida, vaſa detumeſcunt, tumidior a nimia relaxatione fit uteri vagina, ſequitur poſtea virium proſtratio, ciborum averſio, ſomnus turbatus, partium intabeſcentia. Lochiis vero nimis fluentibus, præſertim quando ſanguis coagulatus & nigricans excernitur, pathemata

accedunt ſpaſmodica, convulſiva, hyſterica, & animi deliquia.

XIV.

Habitus feminarum cachecticus, qui ab infarctu lienis vel hepatis plerumque gignitur, ad exceſſivum & valde noxium hoc profluvium diſponit, ſique diutius durat, ſtatus cachecticus augetur, tandemque in lentam febrem & hydropem cum luctuoſo eventu degenerat.

XV.

In copioſiori menſium profluvio non purus & fibroſus ſemper ſed valde aquoſus & ſeroſus ſanguis excernitur locis aliis excretoriis ut renibus, alvo, tranſpiratione, ſegnioribus redditis.

XVI.

*Hippocrates* Lib. II. §. 3. de morbis mulierum hæc memoriæ prodidit, ſi multus ſanguis ex utero diſceſſit, color eſt ſub albidus: & ſub oculis tumores laxi: & crura turgida: & uterus humidus ac ſemper hians: & quæ diſcedunt aquoſa ſunt velut a crudis carnibus ſuccus.

XVII.

Perpauci medicorum perite & circumſpecte nimias ſanguinis profuſiones tractare didicerunt, quum attenta doceat obſervatio plures ex nimio menſium & hæmorrhoidum fluxu, ab ingentibus adſtringentibus ſæpiusque repetitis VSnibus in gravius damnum & periculoſiores morbos, quales per ſe nimiæ hæ ſanguinis profuſiones minus poſt ſe trahunt, præcipitatas fuiſſe.

XVIII.

XVIII.

Inter cauſſas, quæ fovent & efficiunt has immodicas effluxiones, uteri atonia ejusque vaſorum tonus deſtructus, qui æqualem ſanguinis per venas intercipit progreſſum, & arteriolas nimium diſtendendo, impetuoſas ejusmodi excretiones efficit, primario debet referri, inde etiam fit, ut poſt abortum vel etiam in puerperio frequentiores obſerventur, & quia non tam facile ejusmodi vitium tollitur, ſæpius fit recidiva. Atrocior vero affectus eſt & diuturnior nec non periculoſior, ſi ab obſtructione, infarctu vel etiam induratione, ſubſtantiæ uteri partialis, vel etiam polypoſis concrementis intra venas hypogaſtricas detentis, oritur.

XIX.

Sæpe fit ut ſpaſmi & dolores ſi uterum ejusque vicinas partes, in puerperio occupant ejusmodi immodicæ hæmorrhagiæ cauſſam præbeant, liberiorem ſanguinis curſum & iter per venas coarctatas impediendo, nec non extima corporis comprimendo, ut majori niſu ſanguis ad interiora & inferiora prematur.

XX.

Interdum vero ex ſola ſanguinis copia cum nimia vaſorum plenitudine in arctius ſpatium per frigus externum, per terrorem redacta, vel nimio motu corporis aut æſtu, aut calore, aut inteſtino calido motu valde exæſtuata, ejusmodi immodica profluvia concitantur, ſed tunc malum eſt facilioris ſanationis.

## CVRATIO.

In hac recte ſuſcipienda Medicus omnino reſpicere debet ad varii generis cauſſas, ut iis removendis idonea & commoda opponat remedia.

I.

Vbi plethora urgens & ſanguinis ab exterioribus ad interiora vehemens converſio harum fluxionum cauſſa eſt, Venæſectio, non tantum ad evacuandam nimiam copiam, præſervationis cauſſa ſed & ad revulſionem, ſi malum recens eſt, utiliſſimam præſtat opem, non vero in pede ſed in brachio debet inſtitui, & copioſus ſanguis in principio, quando vires nondum ſunt exhauſtæ, mittendus eſt; hinc perite ſcribit *Hollerius* in Commentario ad aphoriſmum L. Hippocratis Sect. V. multas inquit, vidimus, quæ ſanguine multo e vena detracto convaluerunt, quum nullis aliis remediis fluxus ſanguinis reprimi poſſet.

II.

Quando ſpaſmi & dolores in cauſſa ſunt, atque pathematibus hyſtericis ſeſe adſociat immodica fluxio, anodyna, antiſpaſmodica & quæ nimium fluidi nervei motum refrænant, humorumque acrimoniam demulcent, in uſum vocari debent; inter quæ laudamus maxime nitroſa cum præcipitantibus & temperate diaphoreticis pulveribus atque anodynis remixta, item pulveres antiepilepticos quæ ungulam alcis, dentem hippopotami, lapidem manati, cornu cervi philoſophice præparatum, pulverem caſtorei continent; ſpectat huc quoque pulvis multi uſus

mar-

Marchionis, item liquor noſter anodynus mineralis cum ſpiritu Buſſii & aqua florum chamomillæ & millefolii ſumptus.

III.

Si vero major eſt ſpaſmorum ferocia cum magna ſanguinis ebullitione, pulſu vehementi, & confertim ſanguis erumpit, confugiendum utique eſt ad anodyna & quæ motuum ferociam ſiſtere ſolent; in quorum cenſu ſunt papaveracea, aqua papaveris rhæados, ejus extractum, ſyrupus, tinctura ex aqua papaveris rhœados cum ſpiritu vitrioli parata, mixtaque cum liquore anodyno minerali, ſemen papaveris, hyoſciami, porro maſſa pilularum de cynogloſſa vel etiam ipſum laudanum hyſtericum.

IV.

Ad nimiam ſanguinis ebullitionem & fibrarum muſculoſarum p. n. actuoſum motum ſiſtendum, præter Venæ ſectionem nitroſis, anodynis, diluentibus, demulcentibus, leniter refrigerantibus uti convenit, inter quæ præcipuam laudem merentur julapia ex aqua fontana, plantaginis cum nitro vel etiam cum ſpiritu vitrioli & ſyrupo papaveris albi vel rhæados mixta ſerum lactis dulce & acidulum cum vel ſine nitro, fons ſelteranus cum tertia vel quarta parte lactis præſertim aſinini temperatus, decoctum hordei cum ſyrupo acetoſitatis citri mixtum, quæ etiam pro potu ordinario paulo majori doſi & frigide ſumi poſſunt.

V.

Vbi ſubtilior vel etiam ſcorbutica aut exanthe-

matica acrimonia ſpaſmodicarum ejusmodi impetuoſarum fluxionum cauſſa eſt,corpus leniter ad diaphoreſin diſponendum quæ infuſis theiformibus moderate cum vel ſine lacte ſumptis ex floribus ſambuci, chamomillæ vulgaris,ſummitatibus millefolii,interpoſitis pulveribus temperate diaphoreticis,bezoardicis, nitroſis & cinnabarinis, promoveri debet; vel liquor PRÆSIDIS anodynus cum refracta doſi Spiritus Buſſii permixtus.

VI.

Quando ob nimiam uteri relaxationem & vaſorum ejus apertionem confertim & ἀτρόως non ſine periculo fertur ſanguis,opus eſt paulo validiori adſtrictione,cui uſui & ſcopo obtinendo pulvis hæmatitis,corallio rum rubrorum,boli armeniæ,ſpecies de hyacintho, trochiſci de carabe Meſue egregie omnino ſatisfacere poſſunt,item tinctura martis Zwölferi,præſertimquando cum eſſentia anodyna miſcetur ſæpe nobis inſignem præſtitit opem. Neque ſine topicis adſtringentibus, facile refrenatur impetuoſus fluxus. Inſtar omnium vero hic eſt acetum vini forte cum floribus roſarum rubrarum leniter coctum & pectini atque lumbis applicatum, vel emplaſtrum ſpermatis ranarum cum alumine ſacharo ſaturni pauxillo oleo hyoſciami primæ lumborum vertebræ ubi maximi plexus meſenterici ſedes eſt, impoſitum.

VII.

Princeps vero ejusmodi moleſtiſſimas & pericu loſas afflictiones curandi ſcopus & cardo in eo verſatur,

ſatur, ut, ſi chronici fuerunt, ſique cachexiam, hydropem, hecticam minentur, priſtinus tonus & robur utero ejusque vaſis concilietur, viſcerum obſtructiones reſerentur, infarctus tollantur atque hac ratione omnis recidiva etiam præcaveatur, id quod noſtra quidem experientia laudatiſſime exſequuntur medicamenta ex extractis amaris, gummatibus reſinoſis temperatis concinnata, ut ſunt nominatim pilulæ Becherianæ & quæ ad autoris inventionem paſſim parantur, rhabarbarina, paſſulata, tamarindinata, elixir noſtrum viſcerale, utpote quæ digeſtionem adjuvant, blandam ſpiritualſcentiam ſanguini fœnerant, & a ſordibus primas vias liberant. Spectant huc etiam ex marte præparata ſelectiora, ut ſunt jam memorata tinctura martis Zwölferi, nec non Ludovici, ejusdemque antimonium martiale cachecticum; ex leviore pulvere ſcoriarum reguli antimonii martialis cum nitro paratum, tinctura florum ſalis ammoniaci hæmatitis, cum liquore anodyno minerali mixta. Pertinent huc porro infuſa vel decocta ex radice caryophyllatæ herba meliſſæ, menthæ, piloſellæ, conſolidæ ſaracenicæ, veronicæ millefolii: neque minus balnea temperatiora adſtringentia, item aquæ medicatæ minerales temperatæ, ut ſunt fons Selteranus, wildungenſis, Emſenſis qui vel pro vehiculo medicamentorum vel pro potu uſurpari poſſunt ordinario, vel etiam cum ipſis moderatior cura inſtituenda erit.

VIII.

Externe quoque ad uteri tonum firmandum & roborandum epithema vel cataplaſma ex herba menthæ, foliis lauri, floribus roſarum rubrarum, balauſtiorum; ſi e vino rubro gallico Pontack coquatur, & temperate frigide crebrius applicetur, plurimum profuiſſe experientia edocti ſumus.

## CAVTELÆ.

I.

Exceſſiva ſanguinis copia ſi viribus jam valde exhauſtis, fuerit profuſa, præſtat a venæſectione abſtinere, ſed loco hujus utrumque brachium totum, aquæ tepidæ, cui quicquiam vini admixtum, per dimidiam horam immittere, quo impetus ſanguinis ad exteriora divertatur, & id remedium longe eſt utilius ipſis cucurbitis ad mammas applicatis, quas tantopere Hippocrates in aphoriſmis & ſcriptis ſuis paſſim in ejusmodi caſibus commendat.

II.

In præſervando & ſanando hoc affectu nervus prudentiæ medicæ eſt, pro differenti corporum & cauſſarum morbi ratione, menſuram, modum ac tempus emittendi e vena ſanguinis, recte ſcire.

III.

Quæ habitioris ſunt corporis & a ſola ſanguinis abundantia ſæpius cum immani hæmorrhagia, abortiunt, ſola ſanguinis miſſione crebrius in brachio celebrata, ab hoc vitio liberari & præſervari poſſunt.

IV.

IV.

Si diutius hoc malo colluctantur feminæ, ſive ſintblioſæ, ſive phlegmatico-ſanguineæ conſtitutionis, rarius feliciter ſine alvum ſolventibus remediis ſanantur: inter hæc vero optima ſunt rhabarbarina v.g. rhabarbarum cum cremore tartari, aut ſi multum ſeroſæ colluviei evacuandum eſt, cum tertia parte mechoacannæ albæ acuatum; ſpectant huc quoque pilulæ temperatæ balſamicæ, ſecundum exemplar Becheri, ex extractis amaris, temperatioribus reſinis, & refracta bene præparatæ aloës doſi concinnatæ, quarum virtus interpoſitis nitroſo-ſalinis pulveribus utique exaltatur.

V.

Vidimus quoque in tenerioribus blioſis & cachecticis leniora emetica, cujus generis eſt radix hypecacuanhæ, præſervandi gratia ſingulis menſibus exhibita, non male ceſſiſſe, a qua methodo ipſe *Hippocrates* & Riverius quoque non eſt alienus: prima enim regio, ob deperditam digeſtionem, haud infrequenter multorum chronicorum uteri affectuum cauſſam & fomitem fovet ac præbet.

VI.

Validiora adſtringentia caute & provide admodum adhibere oportet, quod etiam de narcoticis tenendum, præſertim in principio, neque etiam ubi vires a nimia ſanguinis profuſione penitus jam exhauſtæ, imminente fere ſemper animi deliquio; vidimus etiam ſæpius, ab adſtringentibus fluxum exacerbatum

C fuiſſe,

fuiſſe, vidimus quoque nonnullas, ab immoderatiori horum uſu in immanes & graves chronicas paſſiones, cachexiam, hydropem, lentam & hecticam febrem, perpetuum lymphæ ex utero ſtillicidium, cum intumeſcentia tumore & duro circa dextrum latus inguinalis regionis, fuiſſe præcipitatas

§. VII.

Pulvis *Heurnii* cujus deſcriptionem in commentario ad aphoriſmos *Hippocratis* Libr. V. aphoriſm. L. exhibet, quem maximo cum ſucceſſu ſemper in immoderatiori uteri fluxu ſe adhibuiſſe refert, non contemnendus eſt, compoſitio ita ſe habet: accipe ſeminis hyoſcyami, papaveris albi ana drachmam unam, hæmatitidis, coralliorum rubrorum ana drachmam ſemis, camphoræ ſcrupulum dimidium M. de quo mane & veſperi dimidia drachma pro doſi ſumi debet. Nos quoque ab ejus uſu olim laudabilem effectum vidimus, convenit eum exhibere ubi omnia in actuoſo ſunt motu, arteriarum pulſu celeri & vehementi, cum aſſidua vigilia, quo in ſtatu ſecurius ipſi additur nitrum ad dimidiam drachmam; minime vero ubi vires cum ſanguine exhauſtæ ſunt, & pulſus vix digito tangi poteſt, utpote a ſeminis hyoſciami uſu paulo largiori, in dementiam conjectas fuiſſe quaſdam perſonas novimus, quod monitum etiam reſpicit uſum pilularum de cynogloſſa, quæ magnum in exhibitione deſiderant judicium practicum; plures enim ab earum uſu læſas fuiſſe, vidimus.

IIX.

Quando a viſcerum obſtructione chronicum malum fovetur, cura ſine provido aquarum mineralium, vel acidularum, vel thermarum temperatiorum uſu rarius ex voto ſuccedit, expedit vero medicamentis temperate balſamicis hanc curam ſecundare, & exterius quoque ad roborando viſcera ipſumque debilitatum uterum ſilente fluxu balneo aquarum, ſubadſtringenti virtute gaudentium, cujus indolis ſunt noſtræ Lauchſtadienſes, uti.

IX.

Multum intereſt, quo potus genere uti debeant illæ, quæ ejusmodi immodicis ſanguinis fluxionibus macerantur, neque enim ventriculus in hoc adfectu valde imbecillis omnia æque bene ferre poteſt, abſtinendum vero eſt ab omni cereviſia, a potu quoque vinoſo, ſed potius in uſum vocari debent decocta, ex raſura ligni ſantali rubri, citrini, radice cichorei, ſemine fœniculi, paſſulis, parata, quibus ſolus potus aquæ fontanæ frigidæ, alteratus quodammodo ſyrupo acetoſitatis citri, vel tantillo nitri injecto, optime ceſſit. *Ludovicus Septalius* Libr. VII. animadverſ. medicar. articul. CXLIV. decoctum corticum aurantiorum pro potu mane ad octo vel novem uncias tanquam remedium certiſſimum deprædicat, quo fere infinitum mulierum numerum ab hoc morbo liberavit & inter ſecreta reſervavit, recipit nempe aquæ libras ſeptem, in hac incoquit cortices trium pomorum aurantiorum, aliquando adhuc viridium,

ridium, interdum etiam addit in fine aliquid herbæ piloſellæ.

X.

Vti in omni præternaturali hæmorrhagia, ita etiam in hac ipſa, ventriculi & exacte vivendi ratio maxime habenda eſt, ob vires enim cum ſanguine deperditas ventriculus nec bene appetit, nec decenter digerit, nec recte egerit, ſed cruditatum & flatuum copia turget utplurimum venter; optimus eſt cibus ſiccus, modicus & ſalubris, minime gelatinoſus, difficilioris ſolutionis & qui inflat; potionibus, ſi fuerint aquoſæ, ſubinde modicum vini optimi Canarienſis vel genuini vini Pontak, admiſcendum eſt; & uti nimium frigus, ita etiam immoderatus æſtus aëris nocivus eſt, neque admittenda eſt nimia corporis quies, neque nimia ejus exercitatio, veneris uſus ſit parciſſimus, & ſi unquam affectus animi præſentaneum damnum inferunt, certiſſime id contingit in ſanguine exhauſtis corporibus.

## OBSERVATIONES CLINICÆ.

### OBSERVATIO I.

Celeberrimi hujus loci vidua jam LXX. annum attingens, extenuati corporis, ſedentariæ vitæ multum addicta, poſt L. annum ceſſante ex toto menſtrua purgatione, aſſueta fuit ſingulis annis circa æquinoctia ſanguinis miſſioni, poſt annum LX. ex muliercularum conſilio eam omiſit, intra LX. vero & LXX. aliquoties pathematibus ſpaſmodico-flatulen-

tis,

tis, tumentibus quoque venis hæmorrhoidalibus externis, interdum etiam ſanguinis mictione, tentata fuit. Medicus ſalutari conſilio ordinavit Venæ ſectionem crebrius repetendam, ſed ea hujus moniti negligentior, incidit tandem ingentem animi mœrorem eumque diuturniorem, ex improviſo immodice ſanguis per uterum effluit, & fruſtra datis optimis analepticis & roborantibus, per menſes & ultra continuat, tandem cum intolerabili fœtore profluxit, hinc lenta ſuccedente febre & ſumma virium dejectione, placide obiit.

## *Epicriſis.*

Neque ab immoderata uteri hæmorrhagia vetulæ ſunt immunes ſi plethoricæ ſunt & ſanguinis miſſionem negligunt, ſique cum vita ſedentaria animi mœror jungitur, quam facile ab abundante ſanguine in viſceribus abdominis, præſertim utero, ſtagnante, ſphaceloſa corruptio contingere poteſt, quam foetor ſubinde indicat, qui intolerabilis fit, maxime quando hæc corruptio ad ipſum inteſtinum rectum penetrat. De fœtidiſſimo uteri profluvio hiſtoriam quoque refert Cl. *Heurnius* in notis ad aphoriſm. Hippocrat & quidem 56. Sect. V. vidi, inquit, nobilem matronam, quæ profluvio uteri extabuit & tanto fœtore effundebatur, ut nullus non exiſtimaret alvo venire. Sed hic fœtor longe alvum ſuperabat. Exiſtimo totum ejus uterum in teterrimum tabum eliquatum una effuſum fuiſſe. Languebat hæc mi-

rum in modum, ac quaſi lethargo ſtupebat mente, lente obiit intolerabilibus fœtoribus, ego ſane nil fœtidius unquam olfeci.

### OBSERVATIO II.

Illuſtris ſtemmatis femina, floridæ formæ, ſanguine & ſuccis plena, vigeſimo octavo ætatis anno, tertium jam menſem gravida, ex uteri ſinu ſanguinem per duas ſeptimanas exigua quidem quantitate profluere ſentit, vehementioris vero ſaltationis motu mox in talem incidit hæmorrhagiam, ut univerſus propemodum ſanguis usque ad menſuras ſex vel ſeptem floridus & fluidus intra aliquot horas e corpore promanaſſe viſus fuerit, animi deliquiis ſubinde intercurrentibus, nihil auxilii tam intra quam extra corpus ad cohibendum tantum ſanguinis impetum prætermiſſum fuit, ſed fruſtaneo effectu, ſub tanto itaque vitæ periculo Præſes coactus fuit ad anceps & extremum confugere auxilium, linteum nempe apte contortum & probe ſolutione capitis mortui vitrioli maceratum, in uteri ſinum quousque penetrare potuit, intrudi curavit, ita non multo poſt ſubſtitit fluxus, & exhibitis analepticis medicamentis & alimentis erectus quodammodo animus cum viribus. Tertia demum die poſt, tentata eſt extractio lintei, quæ non fuit ſine difficultate, quod plane exſuccum & ſiccatum erat, ipſique ſuperne congrumatus, niger, aridus ſanguis adhæreſcebat. Factum hinc eſt, ut quum ſeceſſum alvi peteret ægra fruſtum

ſtum maſſæ carneæ ex utero ſimul, cum aliqua ſanguinis fluidi portione prolapſum fuerit; poſtea per commodam diætam & medicamenta, ventriculi digeſtionem ac vires reſtaurantia, generoſa hæc femina ſucceſſive convaluit.

*Epicriſis.*

Non novum eſt ab incoercibili ſanguinis ex utero profuſione in partu laborioſo, in abortu etiam, in lethalem ſyncopen incidere poſſe feminas; ſub tanto itaque mortis periculo in ejusmodi caſibus anceps etiam remedium experiri non inconſultum eſt, & licet tale ſtipticum uteri internis partibus applicare nunquam antea obſervatum vel viſum fuerit, tamen hæc obſervatio docet ſtiptica etiam internis uteri partibus non adeo eſſe inimica, ſiquidem poſt hæc femina gratioſa admodum & concepit & peperit.

## Observatio III.

Judæi uxor annorum XL. tenerioris & mobilioris naturæ, multorum liberorum mater, tertium jam menſem gravida, citra ullam manifeſtam occaſionem copioſe ſanguinem ex uteri ſinu prorumpere ſentiebat, non ita multo poſt ſubſequente abortu, maſſa nempe carnea pugni magnitudine ejecta, nihilominus permanſit fluxio puri & etiam fibroſi ſanguinis per

mul-

multos dies cum virium inſigni decremento. Factum hinc eſt ut gravi terrore fuerit perculſa, inde mox exacerbarentur omnia, continua ad lipothymiam erat proclivitas, cor palpitabat, & tremebat cum magna præcordiorum anxietate ſpirandique anguſtia, extrema frigebant & quandoque ut in epilepſia fit ſub animi deliquio pollices cum reliquis digitis ſe fortiter conſtringebant, hæc omnia erant ſub ſuavi quodam dato odore, graviora, remiſſiora vero ſub graveolenti adhibito remedio. Quum omnia deſperata adſtantibus viderentur, Præſes in conſilium vocatus, bono animo eſſe juſſit; remotis itaque aliis medicamentis, clyſterem iniici curavit carminativum, poſtea ad violentas ſyſtematis nervoſi illas commotiones ſedandas præſcripſit pilulas quæ extractum fl. chamomillæ, millefolii, crocum, caſtoreum, camphoram & aſam fœtidam habebant, quarum ſingulis tribus horis numero V. vel VI. quum ſingulæ haberent granum unum, deglutitæ fuerunt. Quibus ægrota ſucceſſive ſanata fuit.

*Epicriſis.*

Vti vehementiores animi commotiones in plethoricis magna, ita in ſanguinis defectu longe majora damna procreare poſſunt, & hoc ſunt maxime pathemata ſpaſmodica convulſiva & quæ vulgo in feminis appellari ſolent hyſterica, quibus frequentius puerperæ poſt lochia infeſtari ſolent, equidem terror ſi ullus ex animi affecti-

bus

bus in immodicis hæmorrhagiis pernicioſiſſimus. Siſtit quidem ipſas, ſed poſtea graviora concitat mala. Imprudentiæ hinc eſſet, denuo ſanguinis miſſionem tentare, nihil potius a prudenti Medico aliud agendum, quam ut antiſpaſmodicis convenientibus motus hoſce intenſiores nervoſarum partium ſiſtat & per diaphoretica & analeptica ſanguinis liberum curſum per extima etiam corporis promoveat.

## Observatio IV.

Femina LIII. annorum, temperamenti cholerico-melancholici, in animi commotiones valde prona, ante annum & dimidium incidit in immodicam ſanguinis ab utero fluxionem, quæ die nocteque integrum per annum duravit, & quandoque tam larga fuit, ut cyathos aliquot compleret, licet ſubinde eſſet parcior. Inde maxima animi ad lipothymiam usque, nec non virium & appetentiæ dejectio ſecuta eſt, intercurrente ſæpius, mox ſingulis, mox tertio die, cum horrore præcedente, febricula. Varia fruſtraneo eventu oppoſita fuerunt remedia, tandem vero martialium uſu cohibita fuit hæc ſanguinis profuſio & in ejus locum fluor albus ſucceſſit, cum tumore pedum œdematoſo, ſpirandi difficultate, inappetentia & alvo adſtrictiore junctus. Vſu dein amarorum crebriori, item tincturæ antimonii acris, cum ſpiritu Buſſii & liquore noſtro anodyno permixtæ, fluor albus cum tumore œdematoſo ſublatus quidem eſt, ſed ille non ita multo poſt ægram rurſus infeſtavit, ac tandem ſuffimigio, ex tacamahaca, ſuccino, raſura eboris & floribus ſulphuris, aliquoties in die uſur-

pato, cum continuatis ſuperioribus remediis, ex toto ſanatus eſt.

*Epicriſis.*

In hac hiſtoria venit illud notatu perquam dignum, quod poſt illud tempus, quo alias ordinario ceſſat menſtrua purgatio, exceſſiva adhuc tamdiu duraverit ab utero fluxio, id quod ex parte iracundæ animi affectioni adſcribi poteſt. Et quoniam hic morbus ingentem atoniam viſcerum abdominis, præſertim uteri, pro fundamento habuit, ad eam expugnandam & tonum partibus reſtituendum, præter amara atque memoratam eſſentiam, quæ ſimul diaphoreſin & diureſin movet, nec non ſuffimigia, ad ſiſtendum album fluorem nihil unquam inveni præſentius, & hinc quoque hæc cura auſpicatum & felicem finem conſecuta eſt.

### Observatio V.

Illuſtris femina, conſtitutionis tenerioris, XXX. & aliquot annorum, inordinate menſibus fluentibus ſæpius vexata fuit, ita, ut ad duos & ultra menſes iſtis retardatis, poſtea impetuoſius ſanguis, primo grumoſus, poſtea tenuis, magna copia profuſus fuerit. Remediorum convenientium beneficio reſtituta quidem fuit, ſed ſequentibus annis, menſibus præſertim hiemalibus, Januario & Februario, recruduit hic fluxus & ſuppreſſio in tertium menſem menſtruæ purgationis rurſus invaſit, exeuntibus ſimul fruſtis duris fœtentibus, cum magna portione aquæ, & tertio anno ſpecies molæ prodiit, dura nempe carnea maſſa, pellicula alba circumcincta, multis cellulis referta, cum exceſſiva ſanguinis profuſione,

quam

quam magna virium jactura, inappetentia, ventriculi imbecillitas, nauſea, præcordiorum anxietas, dolor dorſi & artuum, cum pauco ſomno ſequebantur. In conſilium D. PRÆSES adſcitus, hac medicationis methodo divina favente gratia ægram a moleſtiſſimo hoc affectu liberavit & integre reſtituit, ita, ut gravida aliquoties facta, ſingulis binis menſibus miſſo e brachio ſanguine, feliciter liberos ſanos pepererit. Methodus vero curationis, quæ tribus vicibus adhibita, in eo conſiſtebat: per tres dies circa ſomni tempus ordinatæ fuerunt pilulæ balſamicæ, ad quarum operationem promovendam altero mane ſumſit pulverem ſalinum, qui conſtabat ex tartaro vitriolato, lapidibus cancrorum, nitro, ſale Epſonienſi, ſingulorum portione ad drachmam unam: poſt quinque dies deſcendit mane in balneum, quod paratum erat ex aqua pluviali, in qua decocta herba menthæ, meliſſæ, origani, hormini, ſalviæ, adjecta convenienti quantitate aluminis & cinerum clavellatorum.

*Epicriſis.*

Mirum forſan cuipiam videri poterit, quod inter caſus nimia hæmorrhagia uteri laborantium etiam abortus recenſuerimus, verum cum hi ipſi non aliter fieri poſſint, niſi præcedente ex utero hæmorrhagia eaque præternaturali, utique curanti incumbit, convenienti medendi methodo, & fœtum in utero ſervare ſalvum, & feminam a gravibus & ſonticis pathematibus, quæ a nimia ſanguinis profuſione ceu cauſa oriuntur, præſervare. Quæ omnia melius præſtari nequeunt, quam methodo jam-

jam a nobis propoſita. Potiſſimum balnea & inſeſſus ex convenientibus remediis parata, in diuturnis uteri morbis & vitiis corrigendis, ſi ullum aliud, plurimum valent. Et ſic multæ ad fœtum vivacem edendum inhabiles ac ſæpe abortientes, ad geſtationem, partum & grata matrimonii pignora idoneæ redditæ fuerunt.

## Observatio. VI.

Generoſa femina quadraginta & aliquot annorum, fluxibus ex utero immodicis ſæpius laboravit, tandem a vehementi terrore in immanem hæmorrhagiam incidit, ad quam ſiſtendam, Medicus venæ in brachio ſectionem, pilulas Sthalianas, pulverem antiſpaſmodicum, neque minus eſſentiam millefolii, tincturam martis Ludovici, maſſam pilularum de cynogloſſa, ſed omnia incaſſum, adhibuit; quumque fruſta ſanguinis congrumati cum fœtore erumperent; mixturas analepticas, item tincturam martis cydoniatam, cum arcano tartari maritatam, & ad alvum pertinaciter conſtrictam, magneſiam albam obtulit; iterata rurſus venæſectione in brachio, ſanguis feroſus lixivioſi ſaporis, profluxit. Diutius autem perſeverante hoc fluxu, mirum non modo vires langueſcebant, ſed & lipothymiæ, capitis dolores, vertigo & aurium tinnitus accedebant. D. Præſes in auxilium vocatus, ſequentem præſcripſit mixturam: Recipe aquæ florum ſambuci, tiliæ, liliorum convallium, meliſſæ, ana unciam unam ſemis, theriacalis, cinnamomi ſine vino ana unciam ſemis, aceti deſtillati unciam, lapidum cancrorum drachmas duas, antimonii

dia-

diaphoretici drachmam, ſpiritus nitri dulcis guttas XXX, ſyrupi acetoſitatis citri drachmas ſex, M. D. de qua quotidie, bis vel ter, duo cochlearia ſumere præcepit. Ad regionem pubis vero epithema ex herbis menthæ, meliſſæ, rorismarini, origani, floribus roſarum rubrarum, & cortice chaccarillæ, cum vino rubro Pontak coctum, tepide applicare, manusque ſæpius de die in aquam tepidam cum vino rubro mixtam, immittere juſſit. Quibus dextre adhibitis remediis, hæmorrhagia uteri cum omnibus ſymptomatibus ceſſit, & generoſa patiens, recuperatis ſenſim viribus, optime convaluit.

*Epicriſis.*

Nimis frequens & repetita uterina hæmorrhagia ingentem uteri, ejusque vaſorum atoniam ſubindicat, ad quam removendam, Medicus maxime apta remedia porrigere debet. Huic vero ſcopo obtinendo, neque adſtringentia, neque anodyna, neque nitroſa, aut ſola refrigerantia interne ſumta, reſpondent, ſed applicanda etiam ad confirmandum harum partium robur externa idonea remedia. Præterea mixturæ analepticæ & diaphoreticæ, cum conveniente regimine calido, ad tranſpirationem, ſi malum urget, & alia, ſpectatiſſimæ alias virtutis, remedia reſpuit, augendam, divertendo non modo ſanguinis impetum, ſed & acrimoniam, quæ ſæpius ſubeſt, demulcendo, inſigni emolumento ſunt.

OBSERVATIO. VII.

Ediderat felici partu gemellos femina fere trigenaria, ſed retentis paullo diutius ſecundinis, extra-

ctionem earundem molita eſt obſtetrix. Quod quum non ſine violentia perficeret, remanſerunt fruſtula nonnulla, & ſequutus tam immodicus lochiorum fluxus, ut aliquoties animi deliquium incurreret puerpera. Quin ex eo per dimidium anni ſtillicidium ſucceſſit ex pudendis ſanguinolentum plane refractarium & fere perpetuum, vix quandoque ad aliquot dies inducias concedens. Bis etiam interea ſimul excreta maſſa ovi gallinacei minoris magnitudinem referens, cuticula obducta pellucida & intus habens liquorem ſpiſſiuſculum turbidum atque fœtentem. Peſſime eapropter habuit miſera, appetitus periit, vires conciderunt, caro contabuit & vix corpus movendi ſuperfuit potentia. Tandem haud ita pridem a D. PRÆSIDE ſalutare petiit conſilium, qui ipſi ſuaſit uſum pilularum Becherianarum, cum æquali portione extracti rhabarbari & aliquot granis pulveris antimonii martialis ſic dicti cachectici, mixtarum, & exterius pubis regioni admovere, ac ſi fieri poſſet, ipſum in uterum injicere juſſit, decoctum meliſſæ, menthæ, caryophyllorum, maſtiches, florum roſarum rubrarum & balauſtiorum, ex vino Gallico, quod vocant Pontack. Qua methodo quibusque præſidiis plures ſanitati redditas fuiſſe novit.

*Epicriſis.*

De infelici extractionis ſecundinarum cum vi quadam factæ ſucceſſu, plures in artis exercitio notavimus obſervationes. Nam ſi quando diſſiliunt in fruſta ſecundo partu edenda, & ex his nonnulla remanent, in corruptionem ipſa abeunt & colliquata ichoroſum faciunt fluxum, ſimul lentum quendam

accen-

accedunt calorem, vires mirifice dejicientem. Quandoque præpoſtero hoc molimine enormis inducitur hæmorrhagia, cum omnimoda fere virium jactura, quin ipſius vitæ periculo. Nonnunquam etiam ex relictis fruſtulis ſuccreſcunt poſtea concrementa fungoſa, ex membranis in variam formam & magnitudinem contexta, quæ molas dicunt ſpurias, continuo materiæ ſanguinolentæ ſeroſæ fœtidæ ſtillicidio ſtipata. Fruſtra autem, teſte experientia multiplici, pugnatur contra hæc mala internis ſolis, ac potius locis affectis ipſique utero, nimis partim laxato ac debili, partim læſo & exulcerato, admovenda, injectionis, aut epithematis forma, ea, quæ roborant ac putredini reſiſtunt Interna enim ſalva ſua textura eo pervadere & vitium tollere nequeunt; ſed quæ immediate labe affectas partes tangunt operationis ſunt & celerioris & melioris. Vnde longe profecto opportunius & efficacius ſuccurri poſſet gravibus & diuturnis in utero morbis, qui haud raro poſt partum accidunt, ſi tam lubenter admitterentur injectiones ejusmodi & topica uterina, quam quidem veteribus peſſos admovere moris fuit.

## OBSERVATIO IIX.

AdiitCarolinas thermas femina viginti quatuor annos habens, ſanguinea, iisdemque ad hyſtericam qua detinebatur paſſionem debellandam ex Medici conſilio uſa eſt. Sed ipſum inter uſum, minus forſan dextrum, experta eſt inordinatum copioſum ſanguinis ex utero fluxum, ad aliquot interdum hebdomades durantem. Inde virium debilitatem, appetitus defectum & languorem cum lurido faciei

colo-

colore incurrit. Medicum igitur vocavit in conſilium, qui pulvere Heurnii ſanguinis profluvium compoſuit quidem, at ingens poſtea præcordiorum anxietas cum cardialgia infeſtavit, ipſam ſuffocationem minitans. Vnde ad hæc mala depulſanda multis variisque uſa eſt remediis, quorum tamen nullum effectum edidit ſperatum. Sumſit quoque ex alius Medici ſuaſu emeticum, quo multum viſcidæ ac virideſcentis materiæ exturbatum, & nonnihil levaminis allatum. Nihiloſecius ſanguis paullo poſt largius profluxit & ægram ut de malo funditus exſtirpando eſſet ſollicita coëgit, id quod etiam fortunante DEO præſtitum eſt his; pilulis nempe D. PRÆSIDIS balſamicis, quotidie ad aliquot grana, interpoſito pulvere ex antimonio martiali cachectico, nitro antimoniato & depurato, aſſumtis, uſurpata ſubinde tinctura martis Zwelferi & poto cereviſiæ loco decocto ex radicibus & lignis temperato.

*Epicriſis.*

Mineralium aquarum uſus non minus nimium fluentibus, quam ſuppreſſis ex utero fluxibus opitulatur; ſed prudentem & peritum deſiderat Medicum. Nam morbus uterque, inveteratus præſertim, ab obſtructione & farctu vaſorum uteri ducit haud raro natales, ea tantum cum differentia, quod in nimio profluvio obſtaculum liberi progreſſus ſit in vaſis majoribus venoſis, in deficiente vero in vaſis minoribus maxime arterioſis. Minerales autem aquæ utique impedimentum hoc tollere valent, eaque propter præſtant utrumque. Id vero tenendum: utendum eſſe iisdem non ipſo ſub fluxu, ſed extra eum, ad arcendum recurſum. Si ſecus fit, augetur uteri laxitas, augetur affluxus. Tum potius per balſamica roborantia interius & exterius utero remiſſo robur reddere, ac poſtea, ne repetat profluvium, minerales aquas ad eluendos meatus eosdemque ſervandos apertos in uſum vocare convenit.